Perill.ri et Ecc.mo D. Galileo Galileo

Patavini gymnasij publico Math.co

Ioannes Antonius Roffenus

Quam antea videram oppugnationem Nuntij Siderei manu scriptam, eam
mihi IV. Kal. Augusti ostendit Ecc.s Pugliatonius autore à Martino
Horkio impressam. Martinum aut. non ita consilij expertem arbitrabar
ut eam ederet censuram, quam quemadmodum propter puerilem
doctrinā quilibet mediocriter rerum mathematicarum peritus nullo
refutaret negotio, ita ipse propter maledicta, D. Ecc.mo Magino et
mihi submisisset perpetuis tenebris damnare debebat. Et Maginus
quidem ad illum disertis verbis dissuasit ne ederet, sed etiam
atque talia homines suspicari posse cum invidia hoc partu nato
domi suae obstetricis munere se se esse perfunctum. Et furioso
tandem critico edixit se illum, vel sub prelo peremptūrum.
Verum quae singula alios ab incepto revocassent, ea simul cuncta
ne incitatum quidem Martini impetum retardare potuerunt. Mar-
tinū igitur, ubi impressionem meditabatur, se animi gratia iturum
simulat. ~~Et~~ Maginus statim ac factus est à quodam Mutinensi
patricio de hac re certior hoīem abire dimittit, tanquā eius quem
paulo ante Florentiā redeuntem hospitio ~~[illegible]~~ exceperat
amici proditorem. Et satius profecto fuisset Martino apud hominem
humaniss.m in studio medicine incumbere, donec ei laurea decreta
fuisset, quam in eius, qui tot annos Patavine Academie digni-
tatem etiā cū incremento sustinuit, tā acerbe irruere exist-
imationem. Sed Martino, et à Magino et à nobis dimisso, rem ipsam
attingamus. Ut Nuntius Sidereus Bononiam perlatus est, rei

novitatem multorum animos esse perculsos negare non licet: alijs n. incredibile
videbatur tot seculis in eclipsi, quibus tot viri in rerum celestium
observatione precellentes fuerant, hos quattuor circa Jovem Planetas
illuxisse: Alij affirmabant hec noua Celi prodigia reijcienda
in visus allucinationem provenientem ex refractione conflatam
conuexarum lentium in tubo ad invicem eo dispositarum instrumento.
Quamobrem huius rei ordine conspicilia explorari placuit quibus utitur
Eques Burgianus, vir nostris temporibus preclara conditione atque doctrina no-
tus, que unica in lente res obiectas explicatas, atque in linea recta dispositas
representat. quod licet ita se haberet, omnes tamen desiderabant tu-
um organum, ut ex eius usu certi aliquid colligere possent, receptam
post accuratam experientiam sententiam. Interim multi nobilitate
doctrinaque insignes viri ad Maginum apud quem commorabaris, con-
fluxerunt cupidi tuo met te docente tubo conspiciendi Planetas
a te recens circa Jovem inventos, attamen nemini visus hominibus
satis satisfactum est, et licet Martinus id inficiari non dubitauerit,
eos tamen quodam pacto se vidisse confiteri videtur per eius inquiens
24. Aprilis nocte sequenti vidi duos tantum modo globulos, aut
potius maculas minutissimas, et inferius 25. Aprilis vidi omnes
quattuor ~~planetas~~ maculas minutissimas a Jove prosilientes cum ipsius
Galilei perspicillo in quo illas se invenisse gloriatur. Sed quid bone
Deus putabat se videre ridiculosus hic homo? planetas nouos, cum
quam sunt alij planete et stelle fixe mole, que in sex magnitudines
tribute sunt? quid cum specilijs ad obiecta maiora representandi
opus fuisset? non re eos superioribus seculis vidissent celi contemplatores
Hinc apparet argumentum absque in priori problemate positum nullius
esse momenti. septem tantum esse planetas. hos enim neque plures
neque pauciores ab his, qui in rerum celestium contemplatione

desudari

defixi fuerint, nunquam observari potuerunt. Sed cur observari inter
illos adeo parvus est Mercurius, ut raro videatur, et ab omnibus videri
non possit, sed ab ijs solum qui alios visus acumine praestant?
ergo aliquis novus Math.s dicendi causam hinc arripere posset
ipsos tantum esse planetas, quia ut maxime contenderit Mercurium videre
quamlibet ille frustratus est industriam, et tamen si nunc
oculis solum hoc organum admoveret Mercurium nunquam fere
antea visum facillime, et diutissime ~~videret~~ intueretur. Quem-
admodum ergo Mercurius minor est alijs, qui ex Tichonis sententia
minor est terra novemdecim vicibus; ita non abre fuerit alios
adesse planetas Jovis circulatores, qui ut plurimum cerni non possunt
non tam propter parvitatem, quam propter intervallum, quo distant
a terra, nam si ut Jupiter, quem circumeunt, est in mediocri distantia
a terra, cuius distantia est semidiametrorum 3990 terrae, negaverim
illi planetae a terra minus abesse. Quare si tantundem, quantum
Mercurius, distaret a terra idest semidiametris 1150 terrae quae distantia
est tertia parte minor Joviali, fortasse a nobis felicius, quam Mercurius
cernerentur, nec alio egeremus conspicilio, cuius beneficio res
licet exiguae maxime intuentibus accipere videntur incrementum.
Utitur deinde Martinus hoc dilemate, quod validissimum esse putat
ut dicit, nam si quattuor illi planetae circa Jovis stellam conver-
sabant, aut fuerint antea in caelo, aut non: At nemo homo
Christianus bona conscientia dicere certo scio, quod in caelo quattuor
novos Jovi famulos ascribere ridiculosum est. Etenim dicit
postea ut se primam partem confutaturum, si nunquam, inquit
antea prius fuit, scilicet mathematicos illos videre potuisse, quia
minutissimas in caelo stellulas intueri [illegible] timere sunt, utitur
Tichonis auctoritate, ut dicit, qui visus acumine excelluerit, quam

praestantissima instrumenta ad observationes celestium planetarum
et reterorum asterismorum confecerit, asserens ipse a Tychone mille
stellas observatas, quae et Plinii, et aliorum Mathematicorum in-
genium, et oculos fugierunt. Equidem nescio ubi apud
Tichonem legerit hanc inauditam mille stellarum ob-
servationem, quae totam latuit antiquitatem, cum ego viderim
stellarum fixarum indicem in diem transmissum a Tichone ad Maginum, quae
mille sunt a laudato saepius Tichone observatae, qui quidem longe
uberior est indice in progymnasmatis suis impresso; et in epistola, qua
Suam Mathematicam lucubrationem Rodulpho 2° Imperatori Invictissimo
inscribit ipse sequuntur haec verba: triaque millenas stellas cognitissimas
restituimus singulas tamen in longitudine quam in latitudine adeoque in ipsa
mixtione non nunquam ubi opus videbatur eiusdem semissem. quia
non multae erant quae a veteribus notatae in suo ordine non con-
sentiant alias quasdam licet admodum exiguae forent. et ob id
ab ijs omnibus hinc inde applicuimus ut numerus de quo dixi
impleretur, quem antiquitas plurimarum 22 excesserunt quas non
addidimus; a veteribus haud observatas nebula quadam in hunc
modum * intignitae sunt etc. Signatae autem asterisco sunt tantum
modo 22 quae licet instrumentis observatae non fuerint ab antiquis,
ab eis tamen visae fuerunt. Ex his conijcere potest Maginum
Tichonis mentem non assequi, cum contra eius utatur testimonio.
qui non est hic laudatus, quam magis erat infenius ab eo dicente
pagina 12. alius ad pompam rectantium et augendum libros
suos ornat, cathedris, clavicularis, [illegible] Ille forum venerabilis
vano, inani, sterili, et falsissimo de quo totum Pragense forum ac
Bononiense possit repleri, cuiusque in meo pectore possunt dicari

tabulae

Vetule. quæ verba de verbo adverbum à Raimaro Urso, qui olim in
Tichonem insurgit, desumpta sunt, cuius expressa verba sunt hæc. quæ
scrupularia? Quibus ad nauseam refertæ sunt passim illæ epistolæ Tichonicæ
de vestris operibus cochleis, pinacidijs, pinnulis, [illegible], cylindris, armillis
laminis, catenulis, claviculis, rotulis deque toto illo fere sermone om-
nino vano, atque inani; de quo repleri posset totum [illegible] forum
sermonis omnesque dicam vetule, etc. Uno hæc non solum maledictis quibus
Raimarus Tichonem insectatur, quibusdam in locis Galileum proscindit,
sed ab ipso etiam verba mutuatur, uti patet pagina 18; Et propterea in-
quit ad talem observationem, etc. Ita fere Raimarus requiritur inquit
enim ad astronomiæ restaurationem atque perfectam observationem triceps
seu potius tricorporeus quidam ~~[illegible]~~ Geryon, ex Atlante quantum
ad robur, et potentiam; ex Nestore quantum ad vitæ longævitatem; et de-
nique Lynceo quantum ad acumen visus perspicax atque competens. etc.
Alterum argumentum eius, quando ait, si quatuor novi Planetæ in ea locata
Jovis stellarum essent, videri possent, nihilo validius est primo, tantumque habet
ponderis in delendis à se his stellis fixis, quæ et sex magnitudinibus sunt
inferiores, et passim non conspiciuntur, quantum habet in auferendis quatuor
à Jove circulatoribus planetis. Et Sacræ nihilominus testantur paginæ,
innumerabiles esse stellas firmamenti, in quam pariter sententiam semper ab Astro-
logis omnibus itum est. Quorum est pervulgatum axioma, eas propter suam
ipsarum parvitatem sub oculos nequaquam cadere. Frustra igitur affert Rai-
marus eorum auctoritatem, qui in ea sunt [illegible]: hos Planetas fictitios esse
in propria experientia hoc dicere [illegible]. pluris enim est oculatus unus testis
oculatus, quam decem auriti. Denique ut de me ipso taceam iis potius, qui apud
Maginum affirmabant se vidisse hos planetas, quam iis quorum deprompsit testi-
[illegible] Martinus testimonium, fidem habebo. Eo magis, quo certius
affirmatur à nobili viro Lucensi Antonio Santini rerum mathematicarum peritissimo

quodam suo organo à se saepius visos Venetijs hos planetas, idque in ea urbe
ab eodem dictum ea confirmatum esse coram quibusdam patritijs Bononiensibus; qui
eo tempore ibidem simul commorabantur, imò et Martino fidem adhibere libet
qui quidem affirmat eos se vidisse, quamvis id acceptum referat refractionis
reflexionisque allucinationi; licet addat nihil videri quod naturam veri planetae re-
doleat. Quid nobis nunc videatur in Iovis hisce circumlatoribus? dicat obsecro Martinus
quaenam sit planetarum natura. non loquimur hic de illorum elementari qualitate,
de efficacia, influentia, ipsisque actionibus, quas habent in haec inferiora. Placeret ne
Martino, quemlibet planetarum circa hanc molem liberum certum circumcurrere, ita
ut quemlibet aspectum cum alijs planetis efficere possit; non autem omnes quatuor
perinde ac satellites Iovis latus stipare, à quo hinc inde non nisi paucorum mi-
nutorum spatio abesse possunt, placuit ~~ne~~ re verò Ipsi solem, hac dignitate
caeteris spoliare, an potius habent etiam alij planetae, ut ~~vult~~ ait Keplerus,
suos circulatores; qui à nobis propter parvitatem, magnamque à nobis distantiam
videri non possunt? Verò si Venus, Mercuriusque ut est Copernici sententia,
circa solem circumaguntur, cur non poterunt esse quatuor alij planetae
Iovem circumeuntes, habentque circuitum suum in eo tempore annorum plus
minus duodecim, quemadmodum Venus, et Mercurius singulis annis una cum
sole suum cursum absolvunt: quibus praeterea sunt alij motus; ex quibus
fit; ut nunc orientales; nunc occidentales appellantur, velut etiam hi
Iovis circulatores modo sunt ad illius partem orientalem, modo ad occiden-
talem. Respondet hic Martinus si quatuor novi planetae in caelo essent
sequeretur illos habere proprios orbes, et proprios motus; ~~[illegible]~~
Hoc sane me quoque non fugit, et tibi etiam viri eruditissimo perspectum est: et illo
Martino concedis ea tamen conditione, qua idem caeteris planetis à Mathema-
ticis concedi solet. id autem dictum volo; quia novi non neminem acceperim, qui
nullam putat esse corporum caelestium soliditatem, idemque existimat, sidera
perinde ac volucres in aere sita à Deo propensione moveri. Sed exorbitare
de re praesenti in sententia disputare: Adde quod aliam illationem Martinus

cum

sum ait, et sic per consequens oporteret undecim planetarum calculo elaboratas ephemerides Mathematicos condere etc. audaciae, ignoscas oportet Galilei hominis in rebus non dicam caelestibus, sed terrestribus imperitissimi, quod apponam ne quis credat temere Martini nomini praefigi. noverunt omnes apud Maginum non multo ante didicisse quomodo apte caeli figuram ab astrologis describantur, nec mihi constat an illam satis commode unquam hactenus delinearit. Et tamen, quae est eius audacia, jactabat sese, quod peritum est, de astrologi- caeteris mathematicae praedictionum. Et ne videretur maiora jactare, quam praestare posset, in huiusmodi praedictione conglutinanda pro viribus elaborabat, dum caelestem figuram delineare discebat. Sed cui ad profuit primum apud Keplerum Caesareum Math.cum, deinde apud Maginum vixisse. mirum non est cum tam peculiariter ingenio, in disciplinis mathematicis imperitissimi ingenium tenens sit, ideo eo Lectorem, quod si aliquam haberet cognitionem Astrologiae, haec nunquam diceret, cum plane constaret nam, et si perfectae revolutiones, ac motus a nobis horum planetarum cognoscerentur tanti tamen non esset, ut in ephemeridibus referentur: quia eum nisi a bono perspicillo concedant, eaque sint parvitate, ut non nisi beneficio perspicilli artificiosi cerni possint. materia quam sint repraesentantes obiecta, sequitur eorum effectus in haec inferiora ita minutos et infirmos esse, ut nulla digna sint observatione et forsan pro nihilo eorum habenda: effectus vero aliquo pacto immutare possunt sed ita tamen, ut haec immutatio a nobis unquam facile deprehendatur. Nunc autem satis est probare, an sint hi planetae, nam si id oculis perspicillo fiat, quaelibet alia ratio, quae contra sensum videtur, altercationem obstrepat, audienda non est. Redit tamen Martinus. Si hos undecim planetarum calculo elaboratas ephemerides haberemus: falsum esset quod Ptolemaeus de septem planetis dixit. quia omnia septem planetarum axiomata informatione indigerent, corrueret Cardani tota sua de septem planetis scriptura. Sed quomodo infert hic, doctrinam Ptolemaei, Cardani, aliorumque mathematicorum de septem planetis esse falsam, licet vicina sint hi quatuor circa Iovem circulatores. Oportebit ne singulis planetis aliquam peculiarem domum, seu exaltationem

attribuere, cum Iovi ita affixi sint, ut ab eo ne tantillum quidem minutum spacio
secedere possint: ut qua ergo falsa Ptolemaei et aliorum Astrologorum doctrina,
qua astrologiae principia explicantur, et fundamenta iaciuntur, et illam tot
seculis, totiesque expertae observationes continuatae confirmarunt? Sed ut incommodum est
in his, qui primo alicuius disciplinae nondum elementa didicerunt, disputare,
ita temerarius habendus est ille, qui, ut dicitur, falcem mittit in messem alienam.
Sed his in praesentia praetermissis, nunc respondendum est: an hi quatuor planetae circa
Iovem reperti fuerint, atque id statim explorare oportet, ut similiter, qui semel contra
et loquitur in posterum conticescat. Si igitur Martius est frater hospitis nostri, se hos
vidisse planetas, quos globulos, seu maculas minutissimas vocat, reperiri non potuisse
debebat, an id esset solidum quid, et apparens, ut a hallucinatio visus, antequam
publice suam ferret sententiam; sed et se ipsum reddere [illegible] mathematicis, et
perspectivae expertum, tibi cum viris huiusmodi disciplinarum peritissimis rem esse,
seque facilius, qui eos, decipi posse, et in lucem editus huius ~~[illegible]~~, nuncii
censura, facile se repertarum doctissimos viros, qui ut quid comperti
haberent, rem illico aperirent, et alios certiores redderent. quia tenere
nescio quis Germanus in Galileum virum in rebus mathematicis [illegible]
[illegible], et publice invehi non dubitant. Satius igitur fuisset huic homini
aut tacere, aut ad diluendam hanc novam sententiam non fictam sed veram
et solida afferre fundamenta. Verum mi Galilee ne tibi longioris epistolae
taedium afferam, pluribus supersedebo. Reliquum est, ut quando nobiles Parisini
doctique viri saepe me conveniunt ut de hoc novo astrologiae inventu collo-
quantur, in lucem quam primum edas reperti organi theoricam, ut te
ab adversariorum calumniis vindicare possim. Exigo hoc a te quia
~~[illegible]~~ tu nec hoc ipsum in Sidereo Nuncio pollicens in [illegible]. Quod
tandem in causa fuit, ut ad rationes inquirendas, necnon media excogitanda
per quae ad certitudinis organi inventionem devenirem, me totum converterem,
qui paulo post doctrinae de refractionibus [illegible] assequutus sum: ac tubum

primo

125
75

primo plumbeum mihi paravi; in cuius extremitatibus vitrea duo perspicilla ambo ex altera parte plana, ex altera vero unum sphaerice convexum, alterum vero cavum aptavi et c.[ae]
Inveni ~~[illegible]~~; Vale, et me redama
Bononiae, Sole in regulo currente Anno Dominicae incarnationis 1610 et ab initio mundi
5572

Ex.[tiae] tuae studiosiss.

IAR